



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 18. Seditio Perpinianensium adversus Gallos

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A. C. 1473.

§. XVIII.

Seditio Perpinianensium adversus Gallos.

Cum Administri, quos Galliarum Rex in Ruscinonensi Comitatu constituerat, incolas gravibus plane molestiis exagitarent, Joannes Navarræ Rex missis ad Ludovicum Legatis de injuria conquestus est. His vero haud aliud in responsis datum, quam quod Navarrus aut pecunias sibi creditas, aut utriusque Comitatus, Ruscinonensis & Ceretanensis dominium Regi mox redderet. Conditio utrinque dura, ac neutra Joanni accepta, unde ipse comperta civium seditione Perpinianum contendit; Verum a Gallis ibidem obsidione cingebatur; Hi tamen ab incolis urbe erumpentibus cæsi fugati sunt, pluribus eorum desideratis. Ast hæc ipsa velitariae pugnae frustratio animorum indignationem inflammabat; unde Galli tunc primum ad militaris disciplinae præscriptum obsidionem auspicantur, urbemque ad extremas redigunt angustias; omni enim ex parte commeatum obsessis intercludunt, ac maturas ad falcem segetes in agris continenti incendio conflagrant. Perpinianenses Regis Arragonii ibidem inclusi præsentia, nec non Ferdinandi ejusdem

dem Filii exemplo animati, tam invicta Sæcul. XV.
 animi fortitudine hostium impulsus exci- A.C. 1473.
 piebant, ut Gallorum exercitus obsidio-
 nem solvere, & pactis utrinque sex men-
 sium induciis pedem referre compellere-
 tur. Verum Ludovicus XI. vix elapso
 semestri urbem redintegrata obsidione
 ad deditionem subegit.

§. XIX.

*Mediolanensis Ducis iter ad Floren-
 tiam urbem.*

Ad Pentecostes solemnia Ludovicus Brutus hist.
 Sfortia Mediolanensium Dux adven- Florent. lib. 5
 tu suo Florentiam honorabat, ut votum,
 quod nuncupaverat, persolveret. Ergo
 Cives obviam effusi adventantem summis
 honoribus, ingentique pompa excipiunt;
 eorum tamen lætitia brevi in luctum
 versa est; cum enim quidam Juvenes, ut
 huic solemnitati majorem adhuc splen-
 dorem conciliarent, descensum Spiritus
 sancti in specie ignis ex fornice Cathedra-
 lis Ecclesiæ exhiberent, & totius po-
 puli mens, & oculus ad hujus spectaculi
 novitatem affixus hæreret, repente ignea
 ejusmodi lingua tecto Ecclesiæ adhæ-
 rens, tanta rapiditate latius ubique in-
 cendium propagavit, ut tota pene Eccle-
 sia flammarum vi absumpta fuerit, nihil
 proficiente ignem extinguendum sollicitu-
 dine.

Paulo